

3. Adulta.

Adulta tandem & virilis evolutio liberè se exerat, & vagetur per veterum & recentiorum authorum, analyticorum & polemicorum, omne genus.

Ut autem illud lectionis intervallum observari queat, velim fieri *typos & calendaria* singularum artium.

Typi studiorum formandi sunt.

Typi studiorum sunt certa tabula, quas sibi quilibet formare debet, aut curare ab aliis formari.

Typi isti sunt, vel methodici, vel horarii.


Methodici sunt, quando studiorum dispositionem facimus, secundum ipsam rerum methodum.

Calendaria studiorum.

Horarii sunt, quando disponimus studia secundum horas.

Calendaria sunt, quando disponimus studia secundum dies, septimanas, & menses.

Hujusmodi typos & calendaria (puta Theologica, Physica, &c.) semper in conspectu in Muséis suis habeant studiosi; & innovent subinde secundum intervalla trium, quatuor, aut ad summum sex mensium.



SECTIO VI.

De systematis disciplinarum.

Non satis est disciplinarum lexica & præcognita, vel tradidisse, vel percepisse: debent insuper accedere systemata & gymnasia.

A præcognitis igitur ad ipsummet systema deveniendum est.

Systematis cujusq; tres sunt partes:

Partes cujusq; systematis tres esse debent, præcepta, regula, commentarii.

Et hæc debent à se invicem discerni typis, sive characteribus.

Præ-